

quod antea imbibisset, hominem manere: tum patientia
 magnitudine injuriæ victa, ttedecim triremes, quas per id
 tempus Tyri habebant ad pugnam instructas, portu cele-
 riter educunt: Venetarum rerum scriptores eas ex Italia
 Laurentio Tepulo Præfecto missas tradunt. Ubi vero ad
 Ptolemaidis portum ventum est, catena, qua illius aditus
 occludebatur, subito tumultu refracta, impetum in Ge-
 nuensium naves faciunt, quæ numero tres & viginti one-
 rariæ, duæ triremes forte illic stationem habebant: haud
 magno negotio, ut incautæ, oppressæ omnes. Veneti nau-
 tica illis instrumenta primo eximunt, mox ignem subji-
 ciunt, subjecto ad unam incendio absumunt. Divi Sab-
 bæ fanum, quod tumultuario opere communiverant, eo-
 dem impetu recipiunt, receptum magna ex parte diruunt.
 Genuenses ea clade magis irritati, quam territi, classe dua-
 rum & triginta triremium apud Tyrum interim instructa,
 Venetæ occurrunt: nec tamen prælium ullum memorabile
 est commissum. Veneti rerum Græcarum cura a Syrio cer-
 tamine averfi, in Ponticum mare cessere, ut suis Byzan-
 tium incolentibus Vatazano bello implicitis, præsentī au-
 xilio subvenirent. His interim, quæ Ptolemaide gesta erant,
 in Italiam allatis, Genuenses, qui jam antea inimico in
 Venetos fuerant animo, indignitate rei commoti, ad cla-
 dem ulciscendam ingentem decernunt classē: triremes
 quadraginta instructas, & naves cæteas decem in Syriam
 mittunt. Veneti & ipsi in Italia (quia ingens cum Ligure
 certamen instare videbant) mira celeritate triremes quin-
 decim, onerarias decem instruunt, quibus Andreas Zenus
 est præfectus. Qui Ptolemaide erant, minora navigia (vul-
 go *vaccetas* vocant) circiter quadraginta, cæteas naves de-
 cem & ipsi expediunt. In hoc statu Venetorum res Ge-
 nuensiumque in Syria erant, quum in Italia Alexander
 Pontifex, auditis quæ ab initio apud Ptolemaidem gesta
 erant, cernebat quam validæ essent utriusque populi vires,
 quam magna odia, quam atrox ex ea re malum Christia-
 nos, qui in Syria tunc erant, maneret: pro magno habuit
 negotio, audire oratores utrinque hoc nomine ad se missos;
 voluit

1256

1257

*Veneti Pto-
lemaidem
occupant.*